GEORGIO · MARTINO · LANE

GRATVLANTES

S · P · D

DISCIPVLI · CONLEGAE · AMICI

Decimum iam lustrum condis ex quo anno baca ut aiunt laureatus academia nostra excessisti, mox felicissimo auspicio rediturus. Quo postquam rediisti, varia auctus et undique hausta doctrina, dum ad hunc diem usque litteras Latinas apud nos profiteris, numquam desiisti institutione Tua adulescentes, provectiores exemplo et hortationibus ad optima studia incitare. Ac vitae quidem rationem ita instituisse videris, ut spreta illa proclivi et paene volgari ambitione multa de multis scriptitandi et in publicum edendi — vellemus hercle chartis calamoque minus pepercisses — plurimam in docendo operam navares. At hoc munus, di boni, quanta cum fide, quam admirabili sollertia, qua scientiae copia sustinuisti! Quippe nemo ex paucis horum mysteriorum *βάκχοις*, quos patria nostra possidet, plures ad *ναρθηκοφορίαν* instituit. Nam cui umquam contigit Te Plautum, Tacitum, Lucretium illo ingenio illo lepore interpretantem audire quin aliquid certe amoris bonarum litterarum animo conceperit, et postea recordatione illius temporis magis se senserit ad diligentem earum tractationem inpelli? Neque discipulis solum profuit ista quasi

penus eruditionis; consulentibus ianua Tua semper patuit patetque; propensa benignitate aliorum studia adiuvare consuesti, et multorum scripta Tua ope ornatiora prodiere. Atque illud quoque non minimum Tuo exemplo didicimus, severa studia cum pallore umbraticae vitae non semper coniungi, falsamque esse illam Adimanti vocem, qui doctrinam longius persequantur neque *τοῦ πεπαιδεῦσθαι ἕνεκα* tetigerint, hos scilicet *ἀλλοκότους* fieri et *ἀχρήστους ταῖς πόλεσιν.*

Itaque cum vellemus hoc festo tempore amorem nostrum observantiamque significare, hoc volumen, suo ordine editum, Tibi extra ordinem grato animo dedicavimus. Vale et perge nos amare.

D. sollemnibus academicis a. d. VIII K. Quinctilis a. CIↃ · IↃ · CCC · XCVI